

54. AMBERBOA ODORATA Dec.

var. flava.

Prope fortalitium Krasnowodsk nec non inter puteum Tschagil et Dachmo.

55. ACROPTILON PICRIS C. A. Mey,

Prope fortalitium Tasch-arwat-kala nec non inter puteos Kum-ssebesch et Depme.

56. SCORZONERA PUSILLA Pall.

Prope fortalitium Krasnowodsk.

57. SCORZONERA OVATA Trautv. (*Euscorzonera* Dec. floribus luteis) glauca, excepto caule plerumque (?) pulverulento-puberulo glabra; radice . . . ; caule humili, folioso, ramoso; ramis 1-cephalis, inferioribus foliosis, supremis subnudis; foliis caulinis penninerviis, acuminatis, margine dense crispatis, inferioribus late ovatis et basi in petiolum angustatis, superioribus et rameis oblongo — vel ovato-lanceolatis et basi cordatis amplexicaulibusque; periclinii glabri, subcalculati squamis exterioribus late ovatis, acutiusculis, — interioribus multo longioribus, late lanceolatis, obtusiusculis; achaeniis glabris, muricatis, erostratis.

Prope fortalitium Krasnowodsk.

In herbario Malomae speciei hujus specimina tantum 2 exstant. Planta tota 10—16 centim. alta. Caulis strictus, fere a basi ramosus, modo pulverulento-puberulus modo glabriuscus; rami erecto-patuli. Foliorum inferiorum lamina 3—8 centim. longa, 2—3 $\frac{1}{2}$ centim. lata, petiolo 1 $\frac{1}{2}$ —5 centim. longo insidentia; folia superiora et ramea multo minora, basi cordata et amplexicaulia. Pedunculi apice non incrassati. Periclinium ad 2 centim. longum. Corollae luteae, dorso purpurascentes, e periclinio longe exsertae. — Species haec, quod ad foliorum formam attinet, ad *Scorz. paradoxam* F. et Mey. (Dec. Prodr. VII. p. 119) accedit, quae tamen caule monocephalo, foliis margine planis et floribus purpureis (sec. Dec. l. c.) ab illa facile dignoscitur.

58. SONCHUS ASPER Vill.

Prope fortalitium Krasnowodsk.